



INTRODVCTIO.

Quod in compendiis Physiologiae tam
variae adhuc de sanitate humana no-
tiones occurrant, sine dubio ex exiguo huc-
usque Philosophiae in doctrinam medicam
influxu originem suam traxit, quanquam
caeteroquin haud diffitendum sit, philo-
sophiam quoque recenter demum ad
gradum puritatis dignitati eius adeo neces-
sarium euectam esse, & quantum in inue-
stigandis naturae arcanis valeat, iam de-
mum manifesto prae se ferre; cum, qui an-
te KANTIVM, nostrorum Philosophorum
principem, systema principiorum cogno-
scendae rerum naturae, idque ipsum ex na-
tura facultatis cognoscendi humana dedu-
ctum, constituerit, exstiterit nullus. Quae
enim hucusque frustra inquisuerunt prin-
cipia, quorum fontes & naturam vel ob-
scuro mentis intuitu vix quispiam attige-
rat, eadem KANTIVS, quibus in inuestigando
naturae ordine nec non arcanis vteremur,
A nobis

nobis tandem proposuisse censendus est. Et etsi quidem scientiarum, ut ita dicam, empiricarum nulla tantum reformatione criticaque inuestigatione, quantum Medicina, indigeat, tamen, quod valde dolendum reor, ex quo Philosophia *Kantiana* nobis innotuit, perquam raro ad dilucidandam artem medicam fuit adhibita. Quapropter forsitan aliquando communem Medici, persuasiores facti de ipsius necessitate, in eo nauabunt operam, ut prius stabilita Medicinae systemata ad formam magis scientificam reducant, id quod optandum eo quidem magis est, quo adhibita, prout in rem est, *Kantiana rationis Critica*, id ipsum praestari facilius poterit. Vere enim *Critica rationis*, ut egregie ait Clarissimus HEYDENREICH, similis est mappae geographico - itinerariae, in qua praeter stationes viasque illa etiam annotata sunt loca, ubi deflectere a recto tramite itinerantes frequenter solent.

§. II.

Docuit nos nunc *Critica rationis*, coniuncta nonnisi sensualitatis & intellectus ope, cognitiones nobis ex experientia deductas vere posse suppeditari; principia intellectus pura de generali rerum natura sano sensu delitui, nisi ad experientiae possibilitatem referantur, rationemque, quatenus in empiricam

riam cog
quae inte
cum pri
omnes &
ad summa

Perit
pram n
bis ipsis se
que gener
experient
ted oppo
ita, ut na
ralis spe
possibilita
quae ad le
essentiam

Quanc
cognitiones
ditent, ean
certas regu
generales h
actu praest
natura est,
partaque a
pio libere
medicam

ricam cognitionem influit, ita operari, vt, quae intellectus constituit iudicia, secundum principium sibi proprium coordinando omnes & singulas intellectus cognitiones ad summam denique vnitatem reducat.

§. III.

Pariter iam exploratum nobis est, supremam naturae legislationem nonnisi nobis ipsis seu intellectui nostro inesse, ideoque generales naturae leges nequaquam ex experientia abstrahendas deducendasque, sed oppositam potius ineundam esse viam, ita, vt naturam ratione legalitatis suae generalis spectatam secundum illas duntaxat possibilitatis condiciones oporteat inquirere, quae ad sensualitatis atque intellectus nostri essentiam pertinent.

§. IV.

Quanquam vero leges intellectus, vt cognitiones nobis de rerum natura suppeditent, eandem hanc generaliter secundum certas regulas determinent, tamen praeter generales hasce determinationes ab intellectu praestitas multum, quod varium in natura est, indeterminatum adhuc restat, pariterque a nobis vnitatis cuidam principio subiiciendum, id quod non intellectu mediante, cuius functio est cognoscere, sed

4
a iudicandi facultate reflectente perficitur,
eoque quidem modo:

§. V.

Reflectens iudicandi facultas empiricas naturae leges maxima, qua gaudent, varietate ita esse repraesentandas supponit, ac si alius quicumque intellectus a nostro differens eas naturae praescripisset; quo fit, ut ad unitatem reducantur. At subiectivum hoc tantummodo reflectendi de rerum natura principium est, & a iudicandi facultate ad hunc solum finem adhibitum, ut, quando reflectere debet de natura eiusque subiectis singularibus, eadem sibi ceu ordinata secundum communes leges repraesentare possit; ad quem usum nullam a priori legem intellectus noster suppeditat.

§. VI.

Interim nulla fere distinctio occurrit grauior, quam ea facultatis iudicandi reflectentis in *aestheticam* & *teleologicam*; illamque ad diiudicandam entium naturae pulchritudinem, hanc autem ad diiudicandos scopos, ad quos ea secundum suam peculiarem oeconomiam referri videntur, spectare, generaliter assumi potest.

§. VII.

Facultas nempe iudicandi teleologica
est

est facultas
namque n
eiusdem
nant, diu
utio pro
rum natu
cundum
ad Critic
net.

Inter
scopi nat
tantum
quoque
& nat
scopi ide
conceptu
tur, form
cei scopu
causam, q
nicis, sed
constitui.

Prodi
quam ratio
bia, sed
tur, qua
rum quae
cis natur
per se sp

est facultas hominis, vi cuius tam in oeconomiam naturae generalem, quam in singula eiusdem producta, num scopo suo conveniant, diiudicatura inquirat; quapropter & solutio problematis, an & in quantum in rerum natura realitas ac vis operandi, secundum scopos instituta, admitti possint, ad *Criticam eiusdem illius facultatis* pertinet.

§. VIII.

Inter naturae producta caeteroquin scopi naturae relativi & externi non nisi in tantum possunt existere, in quantum interni quoque & absoluti dantur, quod idcirco *ναρ ἔξω* naturae scopos vocant. Cumque vox scopi ideam modo causalitatis in aliquo conceptu contentae possit involuere, sequitur, formam cuiusdam rei, quae solummodo ceu scopus potest existere, nullatenus per causam, quae in operando a legibus mechanicis, sed quae a conceptu dirigitur, posse constitui.

§. IX.

Producta naturae inorganica nequam ratione essentiae suae internae habita, sed quatenus ad alia obiecta referuntur, qua scopi possunt considerari; nimirum quatenus tantum ceu media organicis naturae productis inseruiunt, quae sola per se spectata ac vi essentiae suae scopo cuidam

cuidam iuncta & apta apparent. Itaque iudicandi facultas nostra ab illo principio, secundum quod diiudicant, an res scopum in semetipsa contineat illique conueniat, id quod principium a priori in se continet, eo deducitur, vt necessario producta ratione inorganica proxime organicis plantarum generibus, haec deinde animalibus, eaque tandem hominum generi subordinet, vtpote solis in orbe terrarum entibus, quae, quid sit scopus, mente concipere, aggregatumque rerum ad certos scopos efformatarum ita coordinare valent, vt systema inde scoporum affurgat. Quo fit, vt eadem illa facultas principio supra allato determinata totam rerum naturam ceu scoporum systema, in eoque hominem ceu scopum naturae supremum sibi repraesentet.

§. X.

Cum igitur Philosophia in eo versetur, vt notionem coniunctionis & conuenientiae entium cum scopo, quo entium natura in ipsa varietate sua gaudet, generalem deducat statuaturque, nos quoque Philosophia praeuente conceptum, quomodo ens, qualis homo est, scopum contineat, cum eoque conueniat, deducere & explicare aggrediemur; vnde facillime condiciones, sub quibus sanitas homini competit, generaliaque criteria eam diiudicandi profectura nobis esse videntur.

Hominem
monstrum
praesentem
dum & gra
statuque e
bet commu
condicio
qua demur
sentationi

Corp
uenit, p
mum, aut
ueris.

Corp
tem interi
enim sensu
dendi imp
tra subiect
uiscuntur
apprehend
renus ip
fluunt.